

& sublimabitur, ac dignitates nato portendit, & dabit ei gubernationes, uel aliquod officium, uel morabitur cum Rege, uitam cum eo agens. Infortunatus, uel combustus ibi si inueniatur, natus ex parte principis malum habebit, captiuabitur, & ex ira principis mortem incurret.

In undecima, fiet fortunatus, & consequetur bonum finem suæ spei, & fiducia, erit bonorum morum, habebit multos amicos, erit & conueniens cum eis, sed paucos filios habebit. Infortunatus ibi, uel combustus, ex amicis pericula decernit.

Si fuerit in duodecima, multiplicabuntur inimici nati, sed fortunabitur in animalibus quæ equitantur, erit malæ uitæ. Infortunatus ibi uel combustus, significat quod in carcere morietur.

Simili uia iudicabis quoq; de partibus per domos, sicut hic de domino primæ domus.

De domino secundæ domus in duodecim domibus cœli.

 O M I N V S secundæ in prima, significat quod natus erit diues & fortunatus in lucrando. & si fuerit ibidem receptus eò melius, & si fu- erit receptor in angulo, habebit illud à nobilibus uel altis.

In secunda, multitudinem substantiæ, habebit lucrum & uictum à notis partibus, & si eum dominus ascendentis aspicerit, lucrabitur substantiam, & congregabit eam & si dominus tertiae eum aspicerit, habebit fratres laboriosos, quibus accident anxieties.

In tertia, significat damnationem status fratum, uel damnum à fratribus, & lucrum in breuibus itineribus.

In quarta, ostendit quod natus & parentes eius erunt in bono statu, & augebitur domus, in qua natus est, & procedet in locum, habebitq; substantiam à parentibus, & erit multum fortunatus in rebus immobilibus.

In quinta si fuerit, natus habebit filios bonos & notos, qui intrabunt domum regis, & inde bonum & lucrum habebunt, sentiet gaudium & letitiam ex rebus delectabilibus.

In sexta si fuerit, eius captivi & servi fugient, morientur bestiæ eius, & accidet damnum in substantia, uel significat ægritudinem ex causis rerum immobilium.

Si fuerit in septima, substantiam à malis partibus lucrabitur, expendetq; eam in mulieribus, & causis, uel uenient nato res immobiles ex parte uxoris.

Si fuerit in octaua, turpes expensas faciet non considerans in quos. Et si dominus secundæ domus dederit uim suam domino octauæ domus, eodem domino secundæ in octaua existente, auferetur ei substantia. Et si dominus octauæ dederit uim suam domino secundæ domus, domino octauæ existente in secunda, inueniet substantiam, uel ex hæreditate mortuorum consequetur res immobiles &c.

Si fuerit in nona, habebit mercimonia extra locū suum in itineribus, & substantia a lucra à locis absconditis, & aduenient sibi res in causis spiritualibus seu prælature.

Si fuerit in decima, uiuet ex mercede regis & lucrabitur inde, uel consequetur substantiam immobilis à rege, uel principe, seu in causis officiorum, seu iudiciorum.

In undecima si fuerit, erit substantia nati, à mercimonij panis & rebus que seminantur, & ex annuis redditibus & debitibus, uel fiet diues propter fortunam ipsi accidentem.

In duodecima si fuerit, erit substantia nati de malefactis, denegabitur ei substantia sua, uel eripietur, aut furto auferetur, sed lucrabitur ex animalibus maioribus.

De do-